



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

§. 8. Bonum Honestum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

cundum, quod illo amatur, non est proprie Bonum: & licet ab improbis subinde vero amore ametur Bonum Jucundum, ne quidem tamen tunc proprie amatur, nec verus ille amor in ipsum proprie cadit, etiamsi enim improbi voluptates appetere dicantur, cum tamen voluptates seu res secundæ non sunt hic Finis Cui, sed tantum Cujus; ipsi vero Improbi Finis Cui sint, patet inde satis, Bonum Jucundum solum ut Utile ab illis amari (hoc vero non est proprie aut Bonum esse aut amari) ipsos verò verè & propriè à se ipsis amari. Quare verò abstineant homines tali phrasi, & cum amore concupiscentiæ feruntur, non dicant se ipsos se amare, cum tamen ipsi sint Finis Cui, sed potius amare se res secundas, quæ tantum sunt Finis Cujus, diximus aliquid in annotatis ad Tract. I. propè ab initio.

§. 8. *Bonum Honestum.*

Bonum Honestum est, quod amamus quia Ratio jubet: amamus, inquam, amore Obedientiæ: atque adeo non est aliud, quam quod parati sumus exsequi eo, quod Ratio jubeat. Ex quo etiam patet, Bonum Honestum constitui per talem

talem amorem, quo non tam ipsum (utpote quod solum est Finis Cujus) quam Ratio amatur (hæc enim est Finis Cui Obedientiæ in isto amore, quo Honestas constituitur) ita ut vir probus actiones suas ex decreto Rationis exercitas (quæ solæ sunt propriè Bonum Honestum) non amet, sed Rationem eas actiones Imperantem. Ratio autem est lex & imago Dei in mentibus nostris, quam proinde Vir Bonus amare non potest, nisi Deum ipsum quodammodo amet. Sicut qui legem principis, quam edixit & promulgavit obediendo amat, magis amat decretum in animo principis conceptum, quam legem illam, quæ in tabulis exarata est: sic vir probus magis amat Rationem, quatenus lex Dei est, & à Deo concepta, ab eoque emanans, quam quatenus in se est, seu quatenus in ipso Viro Bono residet; jam autem decretum illud quatenus in Deo est, à parte rei ipse Deus est, & sub hoc modo Deo etiam & non tantum Rationi Vir Bonus obedit. Ex dictis patet duo tantum amari ab hominibus: nam aut se amant aut Deum. Amor Dei ad Bonum Honestum refertur, Amor sui ad Bonum Jucundum: nam Honestatem cum amamus, Deum quodammodo amamus ut jam vidimus:

dimus : Bonum autem Jucundum amantes, nos ipsos amamus, ut præcedenti §. vidimus : Bonum autem Utile non amatur, ut §. 6. satis ostenditur.

Ideoque duo tantum sunt bona, *Nos & Deus*. Deus quidem vere & per Honestum amorem, nos autem falso & per perversum amorem, aut saltem non per amorem proprie dictum, quæ omnia satis patent ex dictis.

Sed quid de Amore Benevolentia dicendum ? Videtur enim hic etiam posse dari Rationem Boni alicui, quod Bonum Amicum vocari potest. Respondeo hoc saltem objectione ista effici, ut scholæ, quæ tria bonorum genera, id est, *Utile, Jucundum & Honestum* recensent, quartum, nempe Bonum *Amicum* omiserunt : est igitur Bonum Amicum, quod amamus amore benevolentia, sed re bene examinata, nullum est tale proprie loquendo : si enim habeas propositum benefaciendi alteri (quo casu alter ille Bonum amicum dici potest) vel concipis illud propositum ex præscripto Rationis, vel citra tale præscriptum : si illud, jam amor tuus non proprie tendit in eum, quem amicum dicis, sed in Rationem & Deum (semper enim ad Finem Ultimatum attendendum est,

est, cui soli amor dat Rationem boni.) Si hoc, jam ex libidine agis, & quia tibi sic placet agere: adeoque is quem amicum vocas, non constituitur in Ratione boni per tuum Amorem, sed tu te ipsum in Ratione boni per tuum illum amorem constituis: amorque tuus, qui benevolentia esse videbatur, re penitus discussa, totus concupiscentia est.

Ex dictis etiam patet, quam graviter peccent mali, ut qui se ipsos eo ponunt loco, qui Deo proprius est. Solus enim hic est Bonus, atque hi non illum, sed se bonos esse volunt, dum se amant, non illum; amare enim & habere pro bono, & Amor quantum de se est, Bonum constituit, ita ut cuique Bonum id sit, quod amat.

ETHI.